CULTUS
IN HONOREM
BEATISSIMÆ
VIRGINIS MARIÆ.

CULTUS

BEATISSIMÆ

VIRGINIS MARIÆ

AVE MARIA, Gratia plena, Dominus Tecum, Tua Gratia ſit mecum. Benedicta Tu in mulieribus, & Benedicta ſit Sancta ANNA Mater Tua, ex qua ſine peccato & macula proceſſiſti. Ave Sanctiſſima MARIA, Mater DEI, Regina Cæli, Porta Paradiſi, Domina mundi, Pura, ſingularis. Tu es Virgo, Tu concepiſti JESUM ſine peccato, Tu peperiſti

Creatorem ac Salvatorem Mundi, in quo non dubito, defende me ab omni malo ora & intercede pro me, A.

Orantibus hanc Orationem coram Imagine B. V. MARIÆ concessit Xistus IV. aliquot Millium Annorum Indulgentiam.

QUIN-

QUINQUE PSALMI

In honorem Sanctissimi Nominis

MARIÆ

PSALMUS I.

Magna es Domina & laudabilis valde, in civitate DEI Noſtri, & in univerſa Eccleſia electorum ejus.

Miſericordia tua & Gratia, ubique prædicatur: DEUS operibus manuum tuarum benedixit.

Miſerere noſtri Domina, & ſana infirmitatem noſtram, tolle dolorem & anguſtiam cordis noſtri.

Mitte Angelum in occurſum noſtrum, per quem ab hoſtibus defendamur.

Miſerere noſtri in die anguſtiæ noſtræ, & in luce veritatis tuæ libera nos.

Mi-

Miſerere noſtri Domina, miſerere noſtri: quia tu es lux & ſpes omnium ſperantium in te.

Memento noſtri perditorum ſalvatrix: exaudi planctus cordis noſtri.

Miſerere noſtri Domina, & ora pro nobis: in lætitiam bonam converte mæſtitiam noſtram.

Miſerere ſervorum tuorum, & ancillarum tuarum, ſuper quos invocatum eſt nomen tuum, & nè ſinas anguſtiari eos in tentationibus ſuis.

Miſerere noſtri Regina gloriæ & honoris: & ab omni periculo cuſtodi vitam noſtram.

Miſerere noſtri Mater Salvatoris, & præſta conſolationem de gratia tua in tribulatione noſtra.

Medere contritis corde Domina ſalutis: & refove eos unguento pietatis.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto: Sicut erat, &c.

PSAL-

PSALMUS II.

AD te Domina clamavi, & exaudies me: in voce laudis tuæ lætificabis me.

Ad te Domina clamavi, cum tribularetur cor meum: & exaudiſti me de vertice collium æternorum.

Amplectamur MARIÆ veſtigia peccatores: & ejus beatis pedibus provolvamur.

Accedite ad eam cum reverentia, & delectetur cor veſtrum in ſalutatione ejus.

Accedite ad eam in tentationibus veſtris, & ſtabiliet vos ſerenitas vultûs ejus.

A rugientibus præparatis ad eſcam: de manibus quærentium nos liberabit gratia ſua.

Attendite populi DEI præcepta DEI: & Reginæ Cœli nolite oblíviſci.

Aperite cor ad investigandum eam, & labia ad glorificandum illam.

Accendantur affectus vestri in illam: & inimicos vestros induet confusione.

Abstulit à cordibus nostris mæstitiam & mœrorem: & svavitate sua cor nostrum dulcoravit.

Glorificate illam in decore illius: adorate opificem pulchritudinis illius.

Adjutorio Sancto suo evasimus pericula mortis: & de crudeli peste subterfugimus. Gloria Patri, &c.

PSAL-

PSALMUS III.

Refugium nostrum tu es Domina in omni necessitatate nostra: virtus potentior conterens inimicum.

Religiosi omnes honorate illam: quia ipsa est Adjutrix, & vestra specialis advocata.

Refugium pauperum in tribulatione esto Domina: quia tu es baculus pauperum & miserorum.

Recordare Domina ut loquaris pro nobis bona: & indignationem Filii tui avertas à nobis.

Respice paupertatem nostram, gloriosa Virgo miseriam & angustiam nè tardes removere.

Recordare Domina pauperum & miserorum: & sustenta eos ope refugii Sancti tui.

Recordare nostri Domina, ut non apprehendant nos mala: succurre nobis in fine, & inveniemus vitam æternam.

Res-

Resperge corda nostra dulcedine tua: fac nos oblivisci miserias hujus vitæ.

Respice Domina humilitatem servorum tuorum, & nè sinas eos subjacere periculis.

Reple nos servos tuos virtutibus Sanctis: & ira DEI non appropinquet nobis.

Respice Domina contritos corde: & oleo misericordiæ tuæ refove dolores nostros.

Reminiscere miserationum tuarum Domina: & revela peregrinationem incolatûs nostri. Gloria Patri, &c.

PSALMUS IV.

IN te Domina confido: propter dulcedinem misericordiæ nominis tui.

Judica me Domina, quoniam ab innocentia mea digressus sum; sed quia speravi in te, non infirmabor.

In manus tuas Domina commendo spiritum meum; totam vitam meam, & diem ultimum meum.

Irradiatio gloriæ tuæ dilucidat intellectum: & lux miserationum tuarum perducit ad salutem.

Innova signa & immuta mirabilia: ut sentiamus adjutorium brachii tui.

Intercede pro nobis salutifera Mater DEI: quæ Angelorum & hominum salutem peperisti.

Infunde gratiam de thesauris tuis: & unguentis tuis placa dolorem nostrum.

In honorem B. V. M.

Ingrediatur oratio noſtra in conſpectu tuo: & voces gementium nè deſpexeris.

In manu tua ſalus & vita noſtra conſiſtunt: lætitia perpetua, & æternitas glorioſa.

Inveniant quæſo gratiam apud DEUM: qui te in ſuis neceſſitatibus invocabunt.

In periculis, in rebus dubiis, invocate eam: & in neceſſitatibus invenietis auxilium & refrigerium dulce.

Ipſa enim medetur contritis corde: & refovet eos unguento pietatis. Gloria Patri, &c.

PSAL-

PSALMUS V.

AD Dominam cum tribularer clamavi, & exaudivit me.

Ad te Domina levavi animam meam: in judicio DEI tuis precibus non erubeſcam.

Ave gratia plena, Dominus tecum: per te ſalus mundi reparatur.

Aſcendiſti alternantibus hymnidicis Angelorum choris Archangelicis conſtipata roſis & liliis coronata.

Ablue omnia peccata noſtra: ſana omnes infirmitates noſtras.

Aufer a nobis tribulationem noſtram: dulcifica languorem noſtrum.

Avertatur a nobis ira DEI per Te: placa Eum meritis & precibus tuis.

Aperiantur nobis januæ ſempiternæ: ut enarremus in æternum mirabilia tua.

Ad Dominum accede rogatura pro nobis: ut per te à periculis liberemur.

Ad-

In honorem B. V. M.

Adjutorium noſtrum in virtute ſit nominis tui: per te omnia opera noſtra dirigantur.

Ab omni perturbatione libera ſervos tuos: & fac eos vivere ſub pace & protectione tua.

Adorent te familiæ gentium: & glorificent te omnes ordines Angelorum. Gloria Patri, &c.

Kyrie eleyſon, &c. Pater noſter: &c.

Salvos fac. &c.

Mitte nobis Auxilium, &c.

Ora pro nobis S. Dei Genitrix, Ut digni efficia: &c.

ORATIO.

Defende quæſumus Domine B. MARIA ſemper Virgine intercedente, iſtam ab omni adverſitate familiam, & toto corde tibi proſtratam, ab omni infirmitate & peſte, & ab omnibus tuere clementer periculis. Per Chriſtum Dominum, &c.